

dum est, id ante omnia dertvandum à salibus. Verbo tota quasi natura seu universalis rerum omnium materialium motus ad Salium genesin tendit, salinasque particulas principales corporum mixtorum esse partes, illorum resolutio artificialis sive fermentatione sive igne peracta, satis superque arguit. Uti autem doctrina de Salibus summe necessaria & utilis Medico ac Physico est & fuit, sic minus exculta hæc ipsa, & revera neglecta huc usque fuit. Nullus, quod memini, emerfit hæctenus, qui exactam tradiderit Salium doctrinam, vel ipsorum monstrans essentiam, multo minus illorum transmutationem ac generationem. Pleriq; Chymicorum hæserunt tantum in cortice, superficiali cognitione Salis Acidi & Alkali, illorumque effervescentiæ contenti. Verum enim vero, cum exquisitior Salium doctrina, ejusque nobilior usus latissime diffundatur in rerum & effectuum naturalium Scientiam, & explicationi plurimarum intricatarum in Physicis ac Medicis difficultatum satisfaciat: instituti nostri est, paulo accuratius Salium Originem ac Genesin evolvere, illorumque essentiam declarare. Quoniam vero semper credidi admirabilem Conditoris Sapientiam res naturales ita instituisse, ut paucis multa gerantur, ita sufficere censeo, si ex uno principio, simplicissimo, activo liquidissimo tamen, uno nimirum Sale Acido, terrestri elemento omnium Salium Varietatem ac Generationem variasque salium species, status ac effectus deducantur.

§. IV. Placet vero, quoniam omnis disputatio, ut verbis Tullii utar, de Salibus futura est, ante definire, quid sint Salia. Definitio Salis
in genere, Omnis enim, ut idem gravissimi